

§. IX. *Saturninianos & Basilidianos*, secundi pariter seculi Gnosticos e Simonis & Menandri schola prodeuntes, si Arnoldo (f) credimus, omnis antiquitas agnovit continentissimos. *Abstinuerunt ab animalibus: nubere autem & generare a Satana dixerunt esse* (g). Annon ergo hos e censu hæreticorum mulieres captantium *eximemus?* Imo vero ipsemet Irenæus (h) universæ libidinis usum indifferentem habuisse eos affirmat. Quod ne quis temere excidisse scriptori & prioribus contradicere putet, jungemus ei testimoniū & explicatorem Clementem Alex. (i), qui postquam Basilidis de cœlibe vita sententiam candide exposuit, (qua ἀλλὰ τὰ ἔντει γάμος συμβαίρονται, propter ea quæ ex matrimonio eveniunt, abstinentia censet,) mox prolatis in contrarium Isidori dictis moralibus, *has*, inquit, *voces adduxi ad reprehendendum Basilidianos*, qui non recte vivunt, ut qui vel peccandi potestatem habeant propter perfectionem, vel omnino quidem natura salvi futuri sint, et si peccent, propter innatam electionem. Et paullo post: ne ergo Christi nomen suscipientes, & iis qui sunt in gentibus intemperantissimi incontinentius viventes nominis maledictum inurant. Hic sane & spurcam istorum hominum, si non omnium, saltem plurium libidinem & fucum sceleris, opinionem perfectæ sanctitatis, quæ nullam labem ex actione turpi contrahere queat, in apricum profert; ut facilius nunc fidem inventurus sit Epiphanius (k) de Baslide scribens, ejus errorem viros ipsi fidem habentes cum mulieribus multiplicem, quandam mixturam pravi propositi docere.

§. X. De Carpocrate Gnosticorum parente, an socio, quem magum & fornicarium vocat Tertullianus (l), in expeditores est. Hic nefariam mulierum communionem & αγαπας turpissimas invexit (m). Discipuli ex ipsius institutione philtira &

chari-

(f) l. c. §. 6. (g) Irenæus Lib. V. cap. XXII. (h) l. c. cap. XXIII.

(i) Strom. Lib. III. p. 427. (k) her. 24. p. m. 58. (l) Lib. de Anima. (m) vid. Clem. Alex. l. c. p. 428. 430. 436.